



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm V. Debitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

QVÆRES: Quanam ratione, aut fundamento hæc responsio Innoc. nitatur? Resp. Eam niti praxi ecclesiastica, secundum quam clerici in sacris, si nuptias secundas priore muliere mortua, aut viuente, inualidè contrahant, irregulares iudicantur, tanquam bigami sint, & indispensabiles, iuxta ea quæ c. 2. dicta sunt. Hæc interpretatio in odium Clericorum ita contrahentium facta est, id eoque ad alios cum vxore altera, vel ytraque inualidè contrahentes, spectato iure canonico scripto, extendenda non videtur: Quia non prestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, reg. 5. 2. in 6. Nihilominus propter auctoritatem DD. hanc responsionem Innoc. generatim intelligentium de omnibus etiam laicis, si inualidè contrahant nuptias secundas, quod irregularitatem quasi cuiusdam bigamiæ indispensabilem contrahant, in praxi sequendam esse, docui lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. n. 5. Ed quod censuræ & irregularitates, etiam sine scripto iure, per vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem diuturnam introduci possint.

CAPITVLVM V.

Debitum.

DVplex est matrimonium. Vnum ratum, quod mutuo contrahentium consensu constituitur, & significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatis vniionem, iuxta Apost. 1. ad Corinth. 6. *Qui adhaeret Domino, vnus spiritus est.* Alterum est matrimonium carnis copulâ consummatum, quod significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, de qua S. Ioan. c. 1. scripsit; *Verbum Caro factum est.* De eodémque Apostolus ad Ephes. 5. scribens ait; *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Hoc posito sciendum est; Cum dicitur, bigamos atque irregulares esse eos, qui cum duabus vxoribus, vel cum vidua matrimonium contraxerunt, ita semper intelligendum esse, dummodò matrimonium consummatum fuerit. Quare si aliquis duas vxores duxerit,

sed alteram earum, priorem aut posteriorem carnaliter non cognouerit, bigamus non est. Idémque iudicium est de eo, qui viduam duxit & cognouit, quæ à priore marito cognita non est, sed virgo permanfit. Ratio est: Quia bigamiæ irregularitas oritur ex defectu Sacramenti, id est, quod matrimonium bigami non perfectam, sed quodammodo deficientem gerat similitudinem Verbi incarnati. Nam Filius Dei copulauit sibi Ecclesiam vnâ, ab alio non assumptam. Ergo illi tantum bigami & irregulares censendi sunt, qui duas vxores cognouerunt, siue vt Innoc. loquitur, qui carnem suam in duas vxores diuiserunt; vel qui vnâ vxorem cognouerunt, quæ tamén ab alio viro cognita fuit, seu quæ carnem suam in plures maritos diuisit. Vide quæ dixi cit. c. 6.

NOTANDVM Vn. Quicumque duas vxores successiuè duxit & cognouit; & quicumque ab alio marito cognitam duxit & cognouit, bigamus est, & irregularis. Idémque & de eo sentiendum, qui mulierem extramrimonium corruptam duxit, & cognouit.

CAPITVLVM VI.

Quia.

SYMMARIVM.

1. *Qui plures concubinas habent, non sunt bigami.*
2. *Sacerdotes concubinarij olim erant ipso iure suspensi.*

Presbyteri, qui plures concubinas habuerunt, non sunt bigami censendi. Quare Episcopus cum talibus perinde ac cum alijs Sacerdotibus fornicarijs, quoad sacerdotalis officij executionem, dispensare potest.

NOTANDVM Vn. Sacerdotes concubinarij olim erant ipso iure suspensi, vt etiam post actam pœnitentiam celebrare non possent, priusquam Episcopus cum ipsis dispensaret. Ita colligitur ex hoc c. contra Gl. c. si qui sunt, 15. d. 81. Quid autem, spectato hodierno iure, sentiendum sit, dixi lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 11. & lib. 5. tr. 9. c. 12. n. 10. CA.